



## Ad Lectorem B.

**U**li Mathesin me profiteri norunt, eorum nonnullis falcem hic in alienam messem missurum, aut circulis jura, pedibusve moralia mensurum me videri mihi videor. Quibus ego communem nobis cum Juris Cultoribus Deam, Erigonem, quam Astræam dicunt, ante oculos obversari vellem, ut per antiqua illius affinitatis necessitudo, quâ Juris & Mathematicum Studia jam ab omni ævo inter se devincta cobarent, ipsis in memoriam revocetur. De cætero sic se res habet: Angustissimis, fateor, limitibus à Scholasticorum sectâ sequioribus seculis inclusa Quantitas soli vulgò mancipatur Extensioni, in tres tantum species, Lineam, Superficiem, Corpus, divisa; Quod si tamen ipsum Matheseos campum, perquam sanè spatiosum, genuinum Quantitatis seminarium, non eminè tantùm & quasi per transennam videas, sed propius accedas & per vestiges, lineas quidem, & qua speciem hanc sequuntur, superficies & corpora decempedis, ulnis, perticis, in longum, latum & profundum aestimata deprehendes in Geometriâ; pedem verò si paulò proferas ulterius, mox Gravitas occurret, suis ponderibus, diverso prorsus mensura genere, diversam ab Extensione quantitatem in doctrinâ Stathmicâ tradendam exhibens: offerent se Potentiæ motrices, virium miraculoso Machinarum artificio in immensum augendarum quantitatem ab Extensione toto genere differentem in Mechanicâ subinferentes: quin & ipsius Motus, non extensivè tantum per spatia loci temporisve, sed & intensivè secundum velocitatem & impetum spectati quantitas ab Extensione satis adhuc distincta se conspiciendam in Phoronomiâ dabit: Oculos interim Tibi velut ex adverso

):(

per-